hoc Vno Pauperes à Diuitibus differre, quod securi sunt, atq
eos vigilantes rident continuo dormientes. Praeterea in
magna quiete agentes ipsos in magna rerum perturbatione
constitutos auspicantur.

Considerate, et diligenter Vobis ob oculos Ponite pauper-
em, si vlla pars felicitatis illi desit. Quanto enim non fru-
itur otio? quam quietam, et tranquillam vitam viuit? Vitam
viuit turbationum nesciam, plenam securitate, periculorum
atq curarum expertem, nullis rerum humanarum fluctibus
iactatam: si aspera, si dura, si acerba ocurrant [?], semper
sibi similis est, eandemq aequabilitatem animi ostendit, et ser-
vat, atq tam inuicto animi robore, vtpote longo, et propemo-
dum quotidiano vsu assuefactus, ea tolerat, vt nihil à natura
aut Sapientis statu discedere videatur; quamquam etiam omnia
quae excogitari possunt conspirauerint incommoda, vt quic-
quid viderit horridum, quicquid calcauerit sordidum, quicquid
attigerit asperum, comederit foetidum, tulerit vitiosum, tepi-
dumq fuerit, tamen erectum semper animum retinet.
Saeuiat coelum, ignes, fulmina, fulgura emittat, terram
continuis imbribus inebriet, fruges depascat, vineas populet,
grassetur pestis, furiae omnes conspirent, Vltimum minentur
exitium, praelijs omnia misceant, omnia perdant, nihil perit
pauperibus, securi sunt, quieti sunt, tranquilli sunt, non an-
gore animi premuntur, non moerore afficiuntur, non turban-
tur, non affliguntur: Ecce caminus [?] sed non timet aurum; ecce
mare, sed supernatat folium; ecce malleus sed non confringit
adamas; ecce Ventus, sed Mons Sion non commouetur; ecce
praelium, sed miles tenet gladium: O secura felicitas; et

License: CC-BY-NC – Zürich, Zentralbibliothek, Ms. D 147, f. 117v – Collection of oratory practice pieces in Latin by novices at the monastery of St. Gall, 1660 (http://www.e-codices.ch/fr/zbz/D0147/117v)